

§. 54. Si omnia haec indubia repetitaque experientia & diligenti observatione confirmata, plerisque etiam medicis placita, & ad aegrotantium salutem tendentia sunt; minime certe propter medicamentorum parcimoniam incusandus ego sum, quippe majorem partem medelae naturae concedens (§. 1.), quam medicamentis pluribus quidem, at inutilibus, cum pro aegrotantium emolumento id facio; potius autem incusandus est, qui & naturam & ejus propensiones medicamentorum copia, frequentibusque remediis, naturaeque adversis perturbat (§. 51.), nihil plus efficiens, quam morbum exacerbans atque aegrotantem cum detrimento omnino conficiens.

